

GEORGII IOACHIMI RHETICI.

P. Nihil gratius illi acciderit, quam si intelligat aliquos esse, qui uere hæc studia amplectantur, & cupiant in ijs solida fundamenta iacere. Bene uale.

H. Vicissim uale. Peto autem à te ut mox cœnæ tempore ad hospitium nostrum uenias, ut aliquid de præcipuis capitibus doctrinæ motuum, inter nos conferamus: Ego puerum ubi tempus erit, mittam qui te accersat atq; deducat.

P. Etsi mole negotiorum modo non opprimor, tamen petenti hospiti tam humano & docto, Mathematico præsertim, non potero non morem gerere. Veniam igitur accersitus ut uis.

H. Interea uale.

P. Bene ambula.

F I N I S.